

homines ad lauacra: sicut Iob. 29.6. *Quando lauabam vias meas in butyro, & è petra fundebantur mihi riui olei, hoc est, quando omnibus rebus abundabam. Tertium membrum continuat metaphoram de vini & lacticiniorum abundantia. Rubicundus oculis præ vino, albus dentes præ lacte: Vulgo: Præ vino, id est, magis quam vinum: Sed sensus est: ex vino. Cui est rubedo oculorum? His qui immorantur circa vinum, Prouerb. 23.29. Ab effectis igitur consuetis, licet non probatis, vini abundantiam notat. Lacticiniorum quoque frequens vsus dentes albos facit. Quare & his abundabit territorium Iudæ. Onkelos metaphoram alia metaphora reddidit clariore sensu: Operimentum eius erit sericum tinctum cocino variisque coloribus. Montes (pro oculis) rubicundiores erunt in vineis suis, distillabunt colles eius vinum: dealbabuntur campi eius frumento & gregibus ouium. Si cui prior metaphoræ explicatio non placeat, eo quod vino rubro potius sordidantur vestes quam eluuntur, forte melius explicabitur hoc oraculum per illud Ies. 63. *Quis est iste, qui venit ad Edom, rubras vestes habens de Bosra in torculari? Torcular calcaui solus, & de populis non fuit quisquam mecum, calcabo eos in ira mea, &c. spargeturque sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinabo. Notabitur igitur abundantia vini ab effectu, seu circumstantia vindemiæ, quando vestes colligentium & calcantium racemos resperguntur & quasi lauantur musto. Et quia locus Iesaiæ ad Christum accommodatur, Apoc. 19. erit iam allegoria hæc clarior de Christo. Et sic Thargum Hierosol. *Quam pulcri sunt oculi regis CHRISTI ad cernendum: præ vino defecatisimo, ne illis spectet incestos concubitus, cadesq; innocentum. Dentes eius exercitati sunt in lege, ne illis commanducet iniquitates & rapinas. Rubescunt montes eius vineis, & torcularibus vini. Candescunt colles eius copia tritici & gregum ouium. Quod***

**A** igitur de Iuda literaliter est dictum, mystice ad Christum omnino pertinet. Christus enim vere est, quem laudabunt fratres, sicut exclamat mulier: *Beatus venter qui te portauit: beata vbera que susxisti.* Christi manus vere fuit in ceruice inimicorum suorum, quando per mortem aboleuit eum, qui mortis imperium habet, hoc est, diabolus, quando ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & exspoliata imperia & potestates traduxit palam triumphatis illis per mortem. *Christo* vere incuruabunt se omnes filii patris sui, quia Deus exaltauit eum in summam sublimitatem, & dedit ei nomen super omne nomen, vt ad nomen Iesu flectatur omne genu cælestium, terrestrium & subterraneorum. *Christus* vere ille catulus Leonis: Leo inquam de tribu Iuda, stirps Davidis, qui vicit vt aperiat librum & soluat septem sigilla eius. *Christus* vere populorum aggregatio & obedientia. Natus est enim de semine Iuda & Davidis secundum carnem, ipse lumen reuelandum gentibus, angelus volans per medium cæli, habens Euangelium æternum, euangelizans incolis terræ, & omni genti & tribui & linguæ & populo. *Christus* vere asino cum pullo asinæ vetus est in urbem vitiferæ illius regionis metropolim Ierosolymam, iuxta prophetiam Zach. 9. *Rex tuus venit ad te insidens asina & pullo asinæ.* *Christus* vere stolam suam lauit in sanguine vuæ, quando calcavit torcular iræ Dei, resperius cruore, victor hostium triumphas iuxta prophetiam Iesaiæ & Iohannis. Iste allegoriæ aliquid habent solidæ doctrinæ, reliquas mitto. Habemus explanationem oraculi.

Quantum ad oraculi doctrinam: **P R I M O** metaphora Leonis admonet reges & Principes virtutis & officii. Est in Leone animus generosus & inuictus, suaque magnanimitate Leo vititur aduersus bestias truculentas & noxias, lu-

Hebr. 2.14.  
Ephes. 4.  
Col. 2.15.

Phil. 2.9.10.

Apoc. 5.5.

Apoc. 14.6.

Matth. 21.

Doctrina  
oraculi.  
Leo Regum  
& principum  
imago.